



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispvatio V. De alijs Prædicamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

Hic solet agi de substantiâ purè spirituali, seu de intelligentiâ creatâ, id est Angelis, item & de Deo; sed nec verbum de his dicere cogi-

to: relinquo enim in primam partem, vbi de eis egi fusè, idè à substantiâ ad accidentiâ descendamus.

DISPUTATIO QUINTA.

De alijs Prædicamentis.

SECTIO I.

De Quantitate.

DISPUTATIONE præcedenti explicuimus conceptum substantiæ, vnde colligitur quis sit accidentis conceptus, scilicet id, quod est extra conceptum primæ rei, quæ est. Ad id in quâ est, nam Petrus v. g. est extra conceptum Ioannis, & tamen non est accidens, quia non est in Ioanne. Duo ergo requiruntur ad rationem accidentis, & esse in primâ re, & non esse de conceptu illius. Circa naturam accidentis in communi nihil aliud occurrit dicendû, idè ad quantitatem, quæ est prima eius species iuxta communem diuisionem, descendamus.

In primis nomine quantitatis intelligimus id quod fundat naturâ suâ partem impenetrationem, quam experimus in omnibus corporibus, quæ simul in vno eodemq; loco non possunt coherere, & primò querimus, in quod fundat talem impenetrationem (illud dicimus quantitatem) sit accidens superadditum materiæ, an eius essentia.

SUBSECTIO PRIMA.

Probabile est, quantitatem non distingui à materiâ primâ.

THOMISTÆ omnes, & multi alij Philosophi apud P. Suarez 2. Metaphyl. disput. 40. sect. 2. quos ipse sequitur, eam distinguunt realiter à materiâ. Mouentur Primò, quia impenetrabilitas est effectus alicuius formæ, non substantialis, ergo accidentalis. Probatur Minor, quia effectus formalis substantiæ est constituere ens per se, & essentia materiæ solum est esse receptione formæ, huius verò conceptus est actuare materiam: sed in his conceptibus non intelligitur impenetrabilitas, ergo hæc non est effectus formæ substantialis; ergo accidentalis. Confirmatur, rem esse obiectum visus, est effectus proueniens ab accidenti; ergo & esse extensam, & tactu perceptibilem, proueniet ab accidente distincto. Hoc argumentum dicit Hurtadus solum esse probabile: mihi nullam habere difficultatem videtur. nam etiam eo probaretur, materiam primam per se immediatè non exigere vbiocationem, quia talis exigentia non explicatur in illis conceptibus supra positis. Item nec animam rationalem esse immortalem, quia eius essentia solum consistit in potentia actuandi substantialiter materiam, sicut supra de omni formâ arguebatur, quæ omnia aperte falsa sunt. Ratio est clara, quia non omnes conceptus realiter identificati cum substantiâ explicantur in eius definitione. Præter-

ea, qui diceret, materiam seipsâ esse impenetrabilem, posset etiam dicere, eam non sufficienter definiri per hoc quòd sit esse susceptiuam formarum, sed debere addi, esse subiectum impenetrabile susceptiuum formarum. Ad confirmationem distinguenda est impenetrabilitas ab actuali impenetratione & extensione: hanc fateor esse quid superadditum materiæ, sunt enim vbiocationes, sicut color, & alia qualitates superaddite materiæ: sicut autem exigentia, vel capacitas earum qualitatum non distinguitur ab ipsâ substantiâ, ita potest dici, exigentiam actualis impenetrationis, quæ est impenetrabilitas seu quantitas, non distingui ab ipsâ substantiâ. Adde, cum videamus, manente eodem subiecto colores & primas qualitates mutari, euidenter inde inferri, eas distinguendas à subiecto; numquam tamen quantitatem videmus separari à subiecto, cur ergo eam distinguemus?

Sed dices, & sit secundum argumentum: In Eucharistiâ separatur quantitas à substantiâ, manet enim ibi impenetrabilitas & non manet substantia panis, ergo distinguuntur. Confirmatur: nisi ibi esset quantitas distincta recipiens accidentia communia, darentur propè innumera miracula passim, quoties illæ species aliquomodo alterarentur. Respondet aliquis, quantitatem esse idem cum qualibet formâ materiali, siue substantiali siue accidentali, idè quæ à propria quantitate se cum identificatâ, eas species esse impenetrabiles. Sed contrâ, quia formæ accidentales non sunt impenetrabiles cum subiecto, neq; cum aliis formis eiusdem speciei, præsertim si gradus sunt homogenei, tunc enim illi duo, qui sunt in diuersis partibus subiecti, poterunt esse in eadem parte, & facere intentionem, ergo illi gradus non sunt impenetrabiles inter se, neque cum subiecto eos tangente.

Meliùs ergo respondetur Primò, in nostrâ sententiâ manere ibi etiam vbiocationes materiæ (quæ cum sint accidentia realia, & Fides doceat ibi manere omnia accidentia, necessariò debent ibi manere) illæ autem sunt, quæ proximè fundant impenetrationem, quatenus naturâ suâ sunt impossibiles cum alijs vbiocationibus alterius materiæ. Secundò respondeo, Deum impedire impenetrationem eorum accidentium, ne tantum miraculum pateat. Ad confirmationem respondeo, non esse, cur fugiamus, concedere ibi ea miracula, cum ex Philosophiâ nullum habeamus fundamentum ad ponendam ibi quantitatem distinctam.

Dices, à me dictum fuisse Disput. v. Physicæ numero 36. probabile esse, moraliter loquendo, accidentia communia recipi in quantitate, si sit distincta, ne multiplicarem miracula; ergo etiam erit probabile, eam distingui, ne eadem miracula concedamus. Sed nego Primò consequen-

quantiam, quia in primo casu nec multiplicabamus entitates, neque causas, sed solum quod praestandum erat a materia, tribuebamus quantitati: at in presenti, si distinguimus quantitatem, multiplicamus entitates sine fundamento & necessitate, quod repugnat naturali rationi, cui non sufficienter fit satis eod quod videntur miracula, quia haec sunt vitanda sine principiorum naturalium euerfione, praesertim in eo casu, ubi summum omnium miraculum reperitur. Adde, miraculum, quod in conseruatione aliorum accidentium in mea sententia multiplicatur, poni in aduersa conseruatione ipsius quantitatis distincta sine subiecto. Respondeo Secundo, propter ea me ibi dixisse, probabilius esse, etiam si quantitas sit distincta, non recipi in ea accidentia communia, licet contrarium sit probabile. Tandem addo, hos Auctores, ne admittant duo vel tria miracula, amplius discurrere contra duo principia naturalia: Primò, distinguendo realiter exigentiam impenetrationis sine vlla necessitate; Secundo, ponendo in ea exigentia, quam quantitatem vocant, tamquam in subiecto, calorem, colores, lucem & alia accidentia, quod, vt ostendi eo loco Physica, non habet maius in re fundamentum, quam ad ponendum calorem in colore, & e contrario. Ideo magna ex parte etiam, qui quantitatem distinguunt, negant in ea recipi alia accidentia, vnde tot admittunt miracula, quot nos; ergo ob hoc argumentum non est magis affirmanda distinctio quantitatis, quam accidentia in ipsa recipi.

Ideo alij Tertio arguunt: Quia quantitas non potest esse idem realiter cum materia prima, neque cum forma substantiali, neque cum toto composito; ergo est accidens illi superadditum. Consequentia est bona. Antecedentis prima pars probatur, quia tam materialis est forma bruti, quam materia; ergo quantitas non est idem realiter cum sola materia. Secunda pars probatur, quia forma in homine non est quanta, ergo quantitas non potest esse idem cum sola forma, ex quo etiam fit, nec posse esse idem cum toto composito, quia non potest esse idem in homine cum animo rationali, qui est pars compositi.

Leue argumentum, quod etiam aduersarios vrget, quorum maior & melior pars, licet distinguat quantitatem, adhuc eam in sola materia ponit, non in forma, etiam si haec sit tam materialis quam materia; ergo neque ipsi per quantitatem distinctam faciunt pares materiam & formam. Quid ergo mirum, si nos etiam sine quantitate distincta eas etiam inaequales relinquamus, identificantem quantitatem cum sola materia? Ratio est, quia materia, cum sit primum subiectum cui commensurantur, & a quo dependent reliquae formae, & in quo agentia naturalia operantur, oportuit a se esse impenetrabile, reliqua vero per ordinem ad illud. Adde, posse dici in brutis cum vtraque parte identificari quantitatem, in homine vero cum sola materia, quod non impugnat praefato argumento.

Contrariam sententiam tenent Nominales omnes, Aureolus, Occam, Gabriel, Maior, Adamus, Albertus de Saxonia, & alij apud P. Suarez supra, qui hoc vnico mouentur argumento, Non sunt distinguendae entitates sine necessitate, alioquin etiam mihi liceret, quamuis argumento ca-

rerem, distinguere realiter animal a rationali, intellectum iudicatum ab apprehensiuo: atqui in presenti prorsus nulla est necessitas talis distinctionis, vt constat ex dictis; ergo non sunt distinguendae. Respondent aliqui, leue esse hoc argumentum, ad deferendam communem sententiam, quia ad hoc requiritur manifesta demonstratio. Sed admiror nouum in his scrupulum, cum ipsi non ex grauiori fundamento, sed hoc eodem prorsus vi sint, ad negandam distinctionem potentiarum cum Nominalibus contra Thomistas. Cur ergo cum isdem contra eodem propter idem argumentum non negabunt quantitatis distinctionem? Secundo, ex vna definitione falsi modi, quod scilicet sit *affectio ad aliud*, negarunt contra communem sine vilo Auctore, substantiam esse modum. Quid ergo hic haerere? Certè indistinctio quantitatis a materia sufficientes habet patronos, & ex antiquis & ex modernis, aliunde autem pro se habet efficacissimum argumentum, scilicet nullam esse distinctionis talis necessitatem, quod ad non distinguendas duas entitates ferè est vnicum; non ergo est cur timeamus hanc veri sententiam, quae ex hucusque dictis satis explicata & confirmata est.

Dices: Raritas & densitas, & extensio partium, consistunt in accidenti distincto; ergo & quantitas. Nego consequentiam, quia illa consistunt in actuali vocatione, quae est variabilis; at quantitas est ipsa exigentia, quae est idem cum substantia, sicut actualis intellectio distinguitur ab anima, non verò virtus intellectiua, ego in hac materia discurrendum puto sicut in simili. *Disputat. III. de Anima num. 15. dixi, agens de potentiarum distinctione, Primò, non repugnare aliquod subiectum, quod suam impenetrabilitatem habeat, ab aliquo accidenti distincto superaddito; non enim in hoc vel leuis esse potest repugnantia; & in hoc conuenio cum Thomistis. Secundo, neque etiam vllam esse contradictionem in altero subiecto substantiali materiali, quod per suam nec essentiam sine accidente aliquo superaddito sit impenetrabile cum altero indiuiduo eiusdem speciei, & in hoc assentior Nominalibus proximè relatis. Haec duo mihi omnino sunt certa. Illud autem dubium, quid horum de facto in materia nostra reperiatur: non enim possumus vllà certà ratione probare, impenetrabilitatem ei per aliquid superadditum conuenire, sicut neque per suam essentiam. Vnde vtraque sententia est valde probabilis. Quia tamen, vt loco citato dixi, quando non habemus posituum argumentum ad probandam pluralitatem, semper eam debemus negare, puto absolute loquendo probabilius esse quantitatem non distingui, sicut etiam ob eandem rationem potentiarum distinctionem negauimus eo loco. Adde tandem adhuc minus certam esse hanc nostram sententiam de quantitate, quam illam de potentis distinctis: in quantitate enim est argumentum ab Eucharistia pro distinctione a materia, quod licet non conueniat, est tamen probabile: at in potentis nullum est quod probet, eas de facto ab anima separari, ideoque nullum est quod earum distinctionem probet. Et hoc est totum, quod in hac quaestione dici potest.*

Potest autem hic, supposita nostra sententia de identitate quantitatis cum materia, dubitari, an etiam

etiam cum formâ substantiali & cum accidentali identificentur aliqua quantitas seu impenetrabilitas. Respondeo, in hac quaestione Primò certum, formam & accidentia non esse impenetrabilia cum materia, de facto enim & necessarîo sunt in eodem subiecto; vnde certum est, non habere secum identificantem impenetrabilitatem cum illâ, imò nec vllò modo id habere. Secundò certum est in meâ sententiâ, de gradibus intensiōnis omnino similibus, posse constitere intensiōnem eos, qui constituunt extensiōnem, vnde fit, non habere vnum accidens impenetrabilitatem cum altero eiusdem speciei. Nam quando constituunt intensiōnem, omnes in eodem loco penetrantur. In formâ substantiali, cuius duæ partes non sunt naturaliter in eodem subiecto, res est difficilior. Ego non video vnde id posset quis decidere: non enim repugnant formæ materiales substantiales, quæ inter se sint impenetrabiles, etiam si non sint in materia. Non etiam repugnant aliæ, quæ solum reddantur impenetrabiles ab ipsâ materiâ, ex terminis enim patet, in neutrà ex his inuolui contradiccionem; iam autem, è quarum numero sint hæ quæ de facto existunt, & an omnes sint in hoc similes, an verò tantum aliquæ, & quæ, non potest nec experienciâ vllâ nec ratione naturali à nobis vllò modo decidi, idè in hoc puncto dubius omnino sum.

SUBSECTIO SECVNDA.

Quis sit proprius & formalis effectus quantitatis.

12 PRIMò certum est, effectum primarium formalem quantitatis non esse actualem extensiōnem aut impenetrationem: constat enim ex Fide, corpus quantum sæpè actum penetratum fuisse cum alio, vt Christus Dominus nascens cum B. Virgine, idem ingrediens clausis ianuis, & existens in Eucharistia, vbi etiam actuali extensiōne caret, omnes enim partes sunt in eodem loco; ergo formalis effectus primarius quantitatis, qui consistit in formâ vnitâ subiecto, non est actualis extensiō & impenetratio.

Deinde neque est dare distinctionē materiæ aut formæ: constat enim ex Disput. 1. Metaph. Sectione 3, res à se ipsis non à quantitate distingui.

13 Tertio dicendū est, contra aliquos Thomistas, primarium quantitatis effectum non esse rationem mensuræ. Quod probatur Primò, quia vel sumitur mensura in actu secundo, & in hoc sensu falsum est, quantitatis effectum esse actualem mensuram. nam quando est actum penetrata, non est actualis mensura. Deinde, licet nihil per quantitatem actum mensuretur, adhuc retinet totam essentiam quantitatis; ergo non consistit eius essentia in actuali commensuratione; sed neque in aptitudinali, quia, licet repugnet vlla alia res, quæ cum eâ posset commensurari, vel licet nullus esset possibilis intellectus eam commensurans, adhuc esset verè quantitas; ergo eius essentia non consistit in mensurâ neque actuali neque aptitudinali. Secundò idem probo, quia esse posse mensuram, conuenit alijs rebus non quantis (pone enim res spirituales extensas, quas possibile esse ostendi alibi, illæ sunt aptæ ad mensurâ, hæc enim non fundatur in impenetrabilitate, sed in longitu-

dine, latitudine, &c. quæ possunt esse per solam extensiōnem) ergo ratio mensuræ nec soli quantitati nec illi est essentialis.

Quartò dicendum est, primarium effectum quantitatis non esse fundare partium extensiōnem vtrumque, id enim, vt paulò antè dixi, etiam rei non quantæ potest conuenire, v. g. rei spirituali compositæ pluribus partibus integrantibus. Et ratio est, quia actualis extensiō solum dicit habere partes extra partes, siue penetrari possint siue non, ideoque forma substantialis materialis separata à quantitate potest habere eam extensiōnem, etsi materia distingueretur à quantitate, ab illaque separaretur, adhuc posset extensa remanere, vt supra dixi.

Dicendum ergo est vltimò, primarium effectum quantitatis esse, reddere impenetrabile per se naturaliter id in quo est cum alio eiusdem speciei. Hæc probatur Primò ab impugnatione aliarum explicationum. Secundò, quia nobis innotescit quantitas ex impenetratione, quam in corporibus experimur: sed non possumus ponere essentiam eius in actuali impenetratione propter argumenta ex Fide, ergo debet poni exigentia talis impenetrationis, seu in repugnantia ex naturâ rei cum alio corpore in eodem loco, sicut essentiam hominis ponimus non in actuali discursu, sed in potentia ad discurrendum.

Obijcies Primò: Si non esset possibile nisi vnicū indiuiduum quantitatis, vnicū v. g. punctum materiæ, adhuc illud esset verè quantum, & tamen non haberet esse impenetrabile cum alio eiusdem speciei, quia non esset possibile illud aliud; ergo primarius effectus quantitatis non consistit in tali impenetrabilitate. Respondeo, hoc, quod est repugnare ex suâ naturâ in eodem loco, cum alio eiusdem speciei non pendere ab eo, quòd sit possibile aliud vel non, vnde etiam prædicto casu conueniret quantitati prædicta definitio. Vbi aduerte, aliud esse, repugnare cum alio; aliud verò, dicere ordinem vel esse mensurabile cum alio. Ad hoc secundum requiritur possibilitas alterius, vt per se patet, ideoq; dixi supra, non posse definiti quantitatem per talem commensurabilitatem: at verò, vt repugnet cum alio, non requiritur alterius possibilitas, sed explicatur hoc modo. In hoc loco non potest esse simul nisi vnicū indiuiduum huius speciei; hoc verum est, siue sint possibilia multa alia, siue non, benè ergo per hoc potest definiti quantitas.

16 Replicabis hinc difficilior: Etiam conuenit Deo talis definitio, repugnat enim cum alio eiusdem speciei in eodem loco, & tamen non est quantus; ergo. Respondeo, hanc repugnantiam vnus cum alio in eodem loco posse ex triplici capite prouenire, vel quia non est possibile nisi vnicum indiuiduum eiusdem speciei, & hoc modo Deus repugnat cum alio, non solum in eodè loco, sed etiam in diuersis, & non solum simul, sed etiam successiue. Aliter potest hæc repugnantia contingere propter alligationem essentialē illorum indiuiduorum ad aliquem locum in particulari ortam ex propria ratione indiuiduali, & hoc pacto sunt impenetrabiles inter se duæ vbiaciones Angelicæ distantes, quantumuis sint spirituales, & non quantæ. Hæc tamen repugnantia non est per se, id est ex conceptu specifico, sed ex numerico, & accidentali: nam aliæ duæ vbiaciones eiusdem

- speciei, quæ sint alligatæ diuerso spatio, non repugnant esse simul, vt si duo Angeli eiusdem speciei penetrantur inuicem. Adde, hanc impenetrabilitatem potius esse immobilitatem earum vocationum, vnde neque simul nec successiue possunt esse in eodem loco, quare repugnantia non prouenit ex eo quod sit in altero loco alia vocatione, sed quod hæc non potest deserere proprium. Neutra ergo ex his repugnantijs est, per quam definiuimus quantitatem, sed per repugnantiam per se essendi simul in eodem loco, siue sit possibile aliud in rerum naturâ, siue non. Quod non conuenit Deo: nam si per impossibile non repugnaret alius Deus, conaturaliter possent penetrari; neque item consentit vbi Angelico, quod non repugnat cum alio vbi in altero loco ex conceptu specifico & per se, vt dixi, sed ex accidentali & indiuiduali: item non repugnat in alio loco ob existentiam alterius indiuidui in illo quod requiritur ad quantitatem, sed ob immobilitatem modo explicato, quo sufficienter intelligitur primarius effectus quantitatis.
- 18 Circa definitionem autem quantitatis est magna dissensio, propter Aristotelem, qui 5. Metaph. c. 7. eam sic definit, *Quantum est, quod est diuisibile in ea que insunt quorum vtrumque vel vnumquodque vni quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Aduerte, hanc non esse definitionem quantitatis, sed quanti in concreto, est in se per obscura, videturque conuenire rebus non quantis: nam homo vt totus essentialis, est diuisibile in animam & corpus. Deinde, non est de essentiali rei quantâ, posse diuidi naturaliter in duo, vt patet in celo non fecibili naturaliter, diuinitus autem etiam forma materialis sola, vel sola accidentia, aut sola materia sine quantitate (casu quo distinguantur) potest diuidi in ea quæ insunt, &c. Alias impugnationes huius definitionis vide apud Hurtadum *Disput. 13. sect. 3.* vbi conatur Aristotelem in bonum sensum trahere, quasi solum definiat quantum ex vno effectu secundario, quod scilicet idem diuidantur corpora, quia penetrari non possunt. Sed hæc explicatio non sufficit ad saluandam eam definitionem, tum quia Angelus virtute impulsuâ potest diuidere corpora independentem ab impenetratione, tum quia, quando ego accipio vnam guttâ aquæ, non ideo hæc sepa ratur à reliqua aquâ quia est impenetrabilis, sed quia non habet virtutem secum trahendi alias guttas, vni enim facile soluitur: vnde lapis, quia non facile amittit suam vniorem, si trahatur ex vna parte, trahitur totus. Tandem fortius arguo: quado ignis comburit passum, diuidit partem ligni in quam introducit suam formam, ab alterâ quæ adhuc manet sub formâ ligni, & idem est in viuente se nutriente, & per partes disponente materiam; ea autem diuisio nullo modo fit ab impenetrabilitate, sed per solas dispositiones; ergo etiâ in hoc sensu non est id proprium quantitatis. Melius ergo Aristoteles explicatur, vt definiat quantitatem in ordine ad res quas præ oculis habemus, & prout à nobis diuidi possunt, non autem tradidisse rigorosam, quantitatis definitionem, quæ iuxta effectum primarium quantitatis à nobis traditum sic formari potest, *Quantitas est radix impenetrabilis, quæ ex dictis, hinc usque fati superque clara est.*
- 20 Effectus secundarius quantitatis, alius est ipsa actualis impenetratio, quæ consistit in caren-

tiâ duarum vocationum eiusdem quantitatis in specie in eodem loco, alius est ipsa actualis extensio partium, id est, quod habeat vna pars vnam vocationem distinctam à distincto loco ab alterâ: qui duo effectus, licet diuinitus possint impediri, vt dixi supra, naturaliter tamen quantitatem consequuntur.

Dices: Hi non sunt duo, sed vnus, nam esse vnam partem ipsius corporis extra aliâ, est formalissimè non esse duo corpora in eodem loco. Respondeo, licet non esse duo corpora in eodem loco, includat necessariò extensionem, posse tamen dari extensionem corporis, etiam si aliud sit penetratum cum illo; vt cum Christus intrauit ad discipulos, retinuit extensionem partium, attamen fuit penetratum cum murò.

SYBSECTIO TERTIA.

Aliqua dubiola circa Quantitatem.

PRIMò potest dubitari, an quantitas sit res, an modus. In nostrâ sententiâ est realis substantia, in contrariâ est accidens absolutum, quia non est minor ratio de illâ, quàm de albedine & alijs qualitatibus.

Secundò, vtrû materia diuinitus esse possit sine quantitate. In nostrâ sententiâ nequit, quia sunt idem; in contrariâ potest, quia nulla est contradictio.

Dices: Esse extensa, cum haberet partes; & non esse extensa, quia careret extensione. Respondeo, esse extensam, non solum dicere, habere partes; eas enim habet Christus Dominus in Eucharistiâ, & tamen non est extensus ibi localiter actu: ergo non quia materia haberet partes, ideo esset extensa; extensio ergo vltra partes addit vocationes earum in diuersis locis, quod non prouenit formaliter à quantitate, sed radicaliter, vt dixi supra. vnde sine illâ posset materia esse extensa, si Deus det eas vocationes distinctas, etiam si nihil sit quod eas petat. Adde, etiam si repugnaret extensio sine quantitate, posse tamen materia sine quantitate manere, licet eo ipso essent omnes partes penetratæ, & in puncto, de quo iam in tertio dubio.

Tertiò ergo dubitatur, an materia sine quantitate necessariò reduceretur ad punctum. Affirmant aliqui, sed immeritò, quod Primò ostendo: nam aliud est, posse reduci naturaliter, aliud, debere reduci. Angelus enim naturaliter potest reduci ad punctum, non tamen propterea necessariò est in solo puncto; potest enim pro libitu esse extensus; ergo licet materia, ablata quantitate, posset ad punctum reduci, non propterea necessariò reduceretur, quid esset enim speciale in materia, quod eam ad punctum traheret magis, quàm in Angelo?

Hinc oritur quarta difficultas, an materia posset tunc moueri localiter. Respondeo, à propria grauitate posse: si enim lapidi in aère existerent auteretur quantitas, à suâ grauitate traheretur deorsum, & facilius fortè quàm iam, quia corpora inferiora nullo modo ei resisterent.

Dices: Quantitas est subiectum accidentium, ergo eâ deficiente non posset recipi nouus motus. Respondeo Primò, à me dictum supra, accidentia cõmunia recipi in solâ materia. Secundò, etiam si accidentia absoluta in quantitate recipiantur, vbi tamen & duratio in materia recipiuntur, quælibet enim res habet suum proprium vbi (de quo alibi.) Cum ergo motus localis fiat per productionem vbi,

23 vbi, rectè potest tunc materia moueri etiam sine quantitate. Secundo dico, eo casu fore, vt ab agente extrinseco corporeo vix possit tunc materia moueri: hoc enim agens solum mouet per resistentiam in corpore moto, seu per impossibilitatem in eodem loco; hæc autem tunc non esset, ablatâ quantitate, ergo non possit moueri.

Respondebis, moueri per impulsum, qui non prouenit ex impenetrabilitate. Sed contra, quia nos, vt experientia ducet, non possumus impulsu imprimere, nisi corpori resistenti, ergo tunc quando talis resistentia non esset, non possit imprimi. Ideo dixi, ab agente corporeo extrinseco, nam & ab Angelo, qui habet virtutem immediatè producendi vbi independentè ab impenetratione, optimè possit moueri.

24 Illud difficilius, an animal seipsum possit mouere. Primò aduerte, tunc omnes partes superiores descensus vsque ad plantam pedis, imò vsque ad centrum terræ à propria grauitate, & in punctum loci redigendas. Hurtadus dicit fore, vt possit se homo tunc mouere progressiue. Sed ex doctrinâ à me iam datâ contrarium constat: nam si totus homo à propria grauitate ad centrum traheretur, quomodo inde possit se progressiue mouere, nisi se eleuando in altum, quod iam non est progressiue. Secundo, est valdè difficile, hominem ita redactum se posse mouere progressiue, non enim habet membrorum excelsionem, quam motus progressiuus petit; vnde etiam si anima tanta sit in aere, & ibi habeat potentiam locomotiuam (quæ in nostrâ & Hurtadi sententiâ non distinguitur à anima) adhuc non potest in aere se immediatè mouere, quia non habet organa & dispositiones. Et certè, licet illa haberet in aere in puncto, tamen eo ipso quòd extensione & collatione naturali careret, videtur multò magis impediri, est enim illa maxima contractio neruorum excogitabilis, quando omnes ad punctum sunt redacti.

Hinc Secundo infero, nec illum hominem posse facere vnum saltum sursum, etiam si debeat itatim propriâ grauitate ruere: nam multò magis videtur necessaria ea dispositio actus saltus, quia sunt magis violenti, vnde eos non possunt facere homines contracti. Adde, etiam in istis saltibus vix nos posse moueri, nisi aliquem impetum in terram, vel in locum in quo sedemus, imprimamus; ille autem impetus pendet ab impenetrabilitate.

25 Quintò possit dubitari, an ablatâ quantitate possit vnum punctum materiæ v. g. occupare spatium diuisibile, sicut anima indiuisibilis, quæ occupat locum diuisibilem. Respondeo, non posse, quia illa virtus occupandi plura loca, prouenit à perfectione propriâ subiecti: neque est fundamentum, cur hanc perfectionem materiæ secundum se triuamus, dicamusque, à solâ quantitate impediri.

Vltima difficultas, est circâ diuisionem quantitatis, & quidem ab Aristotele & aliis vocantur species quantitatis, tempus & numerus: sed immeritò, quia quantitas est idem cum materiâ, tempus autem & numerus non sunt species materiæ, & solùm dicuntur improprie quantitas, quatenus habent quamdam quasi partium extensionem. Melius ergo potest diuidi in continuam & discretam. Quantitas discreta est materia pri-

ma sine vnione integrali, continua verò eadem vnita. Rursus continua diuiditur in corpus, superficiem, & lineam. Linea componitur ex punctis vno post aliud in longum præcisè, superficies ex pluribus punctis vno post aliud & versus longitudinem & latitudinem, non verò versus profunditatem, corpus autem ex pluribus punctis versus omnia latera, linea constat solis punctis, superficies ex lineis, & corpus ex superficiebus, de quorum compositione latè actum est Disputatione xvi. Physicæ per totam, vbi quæ circa quantitatem desiderari possent, explicata sunt.

SECTIO II.

De Qualitate.

ACCIDENS absolutum, vt distinguitur à modali, diuiditur communiter in quantitatem, de quâ supra, & in qualitatem, de quâ modò.

SUBSECTIO PRIMA.

Definitio & diuisio Qualitatis.

ARISTOTELES sic eam definit 5. Metaphysicæ est id quo quales quidam dicuntur. Per hanc tamen nihil explicatur, nam de hoc quærimus, quid sit esse quale. Dices, habere qualitatem. Bonus circulus, qualitas est id quo quis fit qualis, & esse quale, est habere qualitatem. Ideo alij, est accidens absolutum consequens formam. Sed neque hi placent, nam vel per formam intelligunt id, quod sonat rigorosè, & vt sic omnino falluntur, quia Angelus habet proprias qualitates quæ non consequuntur formam, cum ipse non sit forma; idem est de qualitatibus propriis materiæ; verò per formam intelligunt quodlibet subiectum, etiam conuenit quantitatem, quæ in eorum sententiâ est accidens absolutum consequens subiectum, & tamen non est qualitas.

Tertiò alij, inter quos est Suarez Disputat. 42. sect. 7. num. 5. est accidens absolutum ad completam perfectionem substantiæ tam in agendo quam in existendo. Sed contra, quia hoc eorum conuenit quantitatem, vt per se constat, quæ tamen non est qualitas. Melius eam Hurtadus definit esse accidens absolutum non quantum. Et quidem in sententiâ distinguente quantitatem à substantiâ, non potest de qualitate alia tradi definitio, sicut de brutis non potest alia tradi, quàm esse animal non rationale seu irrationale: nam prædicatum positium, in quo qualitates omnes conueniant, & à quantitate differant, non agnoscimus.

Nos verò, qui quantitatem accidentalem negamus, facilius & clariùs definiemus qualitatem esse accidens absolutum. Tò accidens est ratio generica, quæ conuenit cum modis: tò absolutum est differentia, quâ ab illis distinguitur; nam modi essentialiter alligantur huic numero subiecto, secus qualitas, quæ idèò accidens absolutum dicitur. Hæc definitio & omni & soli conuenit qualitati, quia nullum est accidens absolutum, quod non sit qualitas; si quid enim esset, maximè quantitas, hanc autem non accidens, sed substantiam esse, supra ostendimus.

Qualitatem primò diuisit Aristoteles in habi-

rum & dispositionem: secundò in potentiam & impotentiam: tertio in passionem & passibilem qualitatem: quarto in figuram & formam. Per habitum intelliguntur à nonnullis qualitates illæ vitales, quæ dant potentiis facile posse, ad quas reducuntur habitus supernaturales infusi & acquisiti, si sint, licet primi dent simpliciter posse in stat potentiarum. Alij contendunt, habitus supernaturales ad potentiam reducendos, vix sunt duo vel tres Auctores, qui in assignandis suis classibus qualitibus conueniant. Sed quæstio est purè de nomine circa intelligentiam illorum verborum *Habitus, vel Potentia, &c.*

Per dispositiones intelliguntur accidentia omnia, quibus materia præparatur ad recipiendâ formam substantialem. *Potentia* est facultas ad agendum vel patiendum. Hic rursus contenditur de voce à pluribus, vtrum facultates ad agendum, quæ non sunt à naturâ simul cum essentiâ productæ, dicendæ sint potentia, an non: eas voca vt volueris. *Impotentia* propriè est carentia, vnde non debet poni pro potentia positiuâ, ad effectus tamen remissos. *Passio* non accipitur, vt sonat, pro actione eductiua (vt sic enim non est qualitas, sed modus) sed prout significat passiones animi vt breui durantes. *Passibiles qualitates* dicuntur passiones animi diu durantes. Potest diuidi vterius in *primas qualitates* & in *secundas*. Primæ sunt, calor, frigus, humor, & siccitas, si hæc duo sint vera accidentia, de quo supra: secunda, quæ quasi ex his resultant, vt colores, odores, sapores, &c. Forma & figura non videntur huic spectare: nam figura in communitiori sententiâ est modus. Quod si sit res, vt est in nostrâ sententiâ, adhuc non placet, quia coincidit cum situ, qui constituit Prædicamentum distinctum à Prædicamento qualitatis, iuxta ipsum Aristotelem Prædicamentorum Auctorem. Præterea forma conuenit & qualitati omni & modo; vnde non potest poni pro specie qualitatis, sed potius pro genere ad illam. Melius ergo diuidi potest qualitas vt sic, in *naturalem* & *supernaturalem*, in *vitalem* & *non vitalem*, in *mensibilem* & *non mensibilem*, cuiusmodi possunt alia plures excogitari diuisiones qualitatis, secundum diuersas rationes quibus accidentia aliqua inter se conueniunt, & ab aliis differunt.

Aduertendum est, membra cuiuslibet ex diuisionibus præcedentibus includi in membris alterius diuersæ diuisionis: nam sub qualitate vitali dantur naturales & supernaturales qualitates; item è contrario sub naturali qualitate dantur vitales & non vitales, quod idem datur sub supernaturali: nec potest dari alia diuisio omnino prima, quæ non habeat aliam æquè vniuersalem, sicut ens non potest diuidi primò vnicè; tam vniuersalis enim est diuisio illius in substantiam & accidens, quàm in Deum & creaturas, in ens naturale & supernaturale, vt alibi obseruauit.

SUBSECTIO SECUNDA.

Aliqua difficultates soluta.

32 PRIMò aduertendum, commutè tribui qualitati tres proprietates. Prima est, habere contrarium, quod sub eodem genere cum illâ for-

maliter repugnet. Vbi nota, non requiri, vtrumque contrarium includi sub eodem genere infimo, odium enim & amor sunt contraria, & tamen non sunt sub eodem genere infimo; nam odium & amor non solum specifice, vt duo amores diuersorum obiectorum, sed etiam genericè differunt; sufficit ergo ad contrarietatem, esse sub eodem genere qualitatis, licet hoc vniuersalissimum sit.

Oppositio qualitatis non est quasi efficiens, eò quod producat formas oppositas, sed seipsa formaliter, vt opponuntur frigus & calor, humor & siccitas, &c. habere contrarium positiuum, licet soli conueniat qualitati, non tamen omni; non enim conuenit luci, habitui supernaturali per se infuso, & aliis pluribus.

Hic potest dubitari, vnde proneniat qualitatum contrarietas. Respondeo, ex naturâ propriâ qualitatum, quæ naturâ vel experientiâ à nobis cognita est, vt inter calorem & frigus, inter album & nigrum, videmus enim ea duo in eodem subiecto conuenire non posse. An autem hæc sit propria contrarietas, dicam statim. Ratione etiam solemus cognoscere eam contrarietatem, vt inter odium & amorem, assensum & dissensum circa idem obiectum. Pro cuius maiori intelligentiâ aduerte, aliquando duas qualitates aut modos repugnare simul eidem subiecto, non ob contrarietatem earum formarum, sed ob limitatam virtutem subiecti. Sic vltra summam intentionem naturalem lucis v. g. non potest subiectum habere alium gradum, non quia ille esset contrarius alii, cum eiuſdem omnino rationis, & casu quo sint heterogenei, naturâ suâ supponat alios, sed quia subiectum non potest tot simul pati; sic puncto materiæ repugnant simul duæ vicationes ob limitatam virtutem. Vnde Angelus & anima rationalis, quæ perfectiores sunt, possunt habere eas vicationes simul. Non deberent in rigore vocari tales formæ contrariæ, etiam si sæpè dicatur motus ad dextram & sinistram contrarij, & sæpè quæritur, vtrum corpus simul moueri possit moribus contrariis. Altera est contrarietas propria qualitatum, quando non ob incapacitatem subiecti, sed ob propriam ipsarum formarum oppositionem se expellunt è subiecto, & hæc est inter odium & amorem, assensum & dissensum. Probo autem, hanc repugnantiam non provenire ex incapacitate subiecti: nam Deus, qui habet infinitam virtutem, non potest simul odio habere & diligere idem obiectum pro eodem tempore, simul assentiri & dissentiri, ergo ea oppositio ex repugnantia earum formarum, non ex incapacitate subiecti desumenda est.

An autem talis sit inter frigus & calorem, an verò sola prima oppositio, dubium est. Videtur esse hæc secunda, nam subiectum, v. g. aer, habet virtutem ad sustentanda alia accidentia diuersa, quando non potest retento frigore nouum calorem accipere, potest enim tunc accipere lucem & alias qualitates, ergo incapacitas ad retinendum illum calorem, non est defectus virtutis ex parte ipsius, sed oppositio caloris cum adueniente frigore.

Huic rationi non admodum fido: nam etiam subiectum non habens virtutem ad recipiendum nouum vbi, antiquo retento, habet tunc virtutem ad accidentia alia v. g. lucem, species impressas,

pressas, &c. teneris ergo etiam dicere, incapacitatem ad eas duas vbiaciones non produci ex defectu virtutis ex parte subiecti, sed ex contrarietate vbiacionum, quod tamen aperte falsum est: & sicut hic dicitur ea repugnantia provenire, non ex defectu virtutis utcumque, sed respectu talium formarum v. g. vbiacionum (aër enim, qui retento hoc vbi, non potest aliud habere, potest retento eodem vbi accipere lucem, species impressas & alia accidentia, ex quo fit euidenter, illum defectum virtutis esse respectuum ad formas illas duas;) ita etiam potest dici, aërem non valere, retento quarto gradu frigoris & caloris, alium recipere, non in contrarietatem aliarum qualitatum, sed in limitatam virtutem subiecti, in ordine tamen ad qualitates has reducendum esse, id eoque forte non repugnare aliud subiectum fortius, in quo possint simul esse gradus caloris octo, & octo frigoris. Secundo idem confirmo: non habemus nos maiorem experientiam de contrarietate frigoris & caloris, quam de contrarietate duorum motuum sursum & deorsum eiusdem corporis, neque vlla ratio magis ostendit eam repugnantiam, ergo sicut impossibilitas motuum non reducit ad propriam eorum contrarietatem, sed ad defectum virtutis ex parte subiecti, ita impossibilitas frigoris & caloris ad solum hunc defectum virtutis in subiecto reduci potest & debet. Vltèrius possit hoc confirmari in nostra sententiâ, docente gradus intentionis homogeneos. Cum enim octauus sit omnino similis primo, si primi & primi inter se non opponuntur, neque etiam octauus octauo, sed solum illud erit in defectum subiecti reducendum; non enim videtur habere virtutem, vt tot gradus frigoris simul & caloris retineat.

37 Dicam quid sentiam: propter hoc argumentum puto verè & realiter calorem & frigus non magis opponi inter se quam duo vbi; vnde in rigore putarem, non dicenda duo contraria, nisi eo modo quo duo vbi contraria dicuntur. In odio & amore, assensu & dissensu ratio supra facta ostendit contrarietatem: hic autem, vbi solum habemus experientiam quòd simul esse nequeat, conceptus autem repugnantes & contrarios non videmus, cur eam ponemus?

Hinc etiam consequentiùs explico, quomodo duæ formæ substantiales non sint contrariae (prout tenet communis sententia) cum tamen non minùs nequeant simul esse in eodem subiecto, quam calor & frigus. Quod enim communiter dicitur, in formis substantialibus id provenire præcisè ex defectu virtutis in subiecto; in calore verò & frigore oriri ex rixâ eorum, sine fundamento dicitur: nam experientia idem docet de vtriusque. Illa autem rixa in quo consistit? Aut explicet mihi, quæso, aliquis, si potest, repugnantiam earum formarum, distinctam ab eo quòd simul non cohaerent, quam non coherentiam etiam habent formæ substantiales, & duæ vbiaciones, & tamen non habent propriam contrarietatem. Meliùs ergo dicitur, sicut in formâ cadaveris & hominis, non in propriam contrarietatem earum, sed in incapacitatem subiecti ad habendum simul eas duas formas, reducitur incommpossibilitas earum; ita in eandem præcisè reducendam incommpossibilitatem dispositionum, non enim nos videmus maiorem in vniis quam

in aliis rixam; & puto rem hanc esse euidentem, si attentè consideretur. Aliâ in speciali de contrarietate aliquarum formarum suis locis dicitur. De habitibus virtuosis & vitiosis egi in materiâ de peccatis, de actibus intellectus & voluntatis in libris de Animâ.

Adverte, sicut dixi, agens de corpore in duobus locis, actione scilicet naturali quoad substantiam illud posse poni in vtroque, ita iam dico, actione naturali posse idem subiectum simul habere frigus & calorem, &c. solum enim erunt miraculosæ illæ actiones, eò quòd dentur quando non debebantur.

Solet etiam qualitati tribui tamquam eius proprietates, esse intensibilem & remissibilem: sed hoc licet soli qualitati conueniat, non tamen omni, v. g. potentiis si distinguantur, & vbiacionibus, quæ in meâ sententiâ sunt qualitates. Imò forte quis diceret, actionem etiam qualitatibus intensibilis intendi pari passu, ideoque etiam modis eam proprietatem posse conuenire, & multi dicunt, actus vitales esse modos, qui tamen capaces sunt intentionis.

39 Secundo potest disputari, cur substantiæ non sint capaces intentionis. Respondetur communiter, quia non potest esse magis aut minus equus. Sed hæc est petitio principij. Hoc formalissimè vocatur in quæstionem. Ego non video aliam rationem, nisi id reducere in naturas ipsas rerum: quæ enim esset repugnantia, vt esset aliqua forma intensior, quæ eo ipso peteret intensiores potentias, haberet maiores vires, &c. Cerrè, qui in hoc assignauerit repugnantiam, in quâ non committat circulum, aut petat principium, multum faciet: mihi talis non occurrit; nec mirum, quia substantiæ nobis de facto sunt valde occultæ, & non possumus facile, quid eis conueniat, ratione à priori monstrare; experientiam autem de intentionis repugnantia quis habebit in substantiis?

Dices: Si substantia esset capax intensioris & remissionis, à quo intenderetur aut remitteretur? Respondeo, vel ab ipsis agentibus intensioribus posse resisti, aut primò produci illam maiorem intentionem, vel iuxta maiorem aut minorem ipsarum dispositionum intentionem etiam intendi ipsas substantias.

40 Dices Secundo: Vnde ergo tibi constat de facto non ita esse? Respondeo, quia nullum habeo fundamentum ad multiplicationem talis intentionis: in calore & aliis accidentibus ipsis sensibus eam experior, ideo eam agnosco, at in substantiis nullo modo; ergo non debemus eam ponere, quidquid sit de non-repugnantia in ordine ad potentiam absolutam, quo pacto sæpè in similibus materiis discurri.

Tertia proprietates est, esse similem vel dissimilem: sed hoc omni enti conuenit, vni equo respectu alterius, vni modo respectu alterius, &c. De his proprietatibus, & qualitatibus diuisionibus, actum est, quantum ad nos spectat, in totâ Philosophiâ, neque in præsentia aliquid noui occurrit dicendum.

SECTIO III.

De Situ & Habitu.

Quæ post Qualitatem sequuntur Prædicamenta, exposita sunt à nobis in Logicâ & Phycâ; restant ergo solum duo, Situs & Habitus.

41 *Situs est dispositio partium in ordine ad locum.* Ex hac definitione Primò requiritur ad rationem situs, ut subiectum in quo est, habeat partes: quapropter situs est proprius rerum constantium partibus, siue res illæ materiales sint siue spirituales; est enim situs, quod aliis vocibus explicamus, stare, sedere, iacere, &c. quod rei omnino indiuisibili non potest conuenire, ut Deo, Angelo & animæ rationali: non enim habent situm propriè, licet sint in loco, non tamen propterea repugnat ut Angelus accipiat vocationes correspondentes mihi sedenti, & propterea quasi sedere videatur. Noltra anima de facto tales habet, ad modum quo vna res omnino homogenea potest poni in formâ sedentis, propter defectum tamen membrorum, capitis, &c. non dicitur sedere. Aduertendum est, licet stare, sedere, genu flectere, sit proprium animalis, & ex illis applicetur etiam ad alias res inanimatas quæ figuram habent animalis, statuæ v. g. & picturæ, hominis, leonis, &c. aliis tamen rebus omnino inanimatis suos etiam conuenire situs, v. g. figuræ rectæ, obliquæ, iacentis in terrâ, erectæ.

42 Non distinguitur situs ab vocationibus partium, quod constat ex Verbis definitionis, *est dispositio partium in ordine ad locum*: dispositio autem in ordine ad locum solæ sunt vocationes. Idemque inde suadet, quia si intelligamus eas vocationes corporis humani v. g. inter se hoc vel illo modo distantes, sine aliqua entitate aliâ superadditâ, quæ sit situs, corpus intelligitur stare vel sedere, ergo situs non differt ab eis vocationibus.

Dices: Potest manere idem situs, mutatis vocationibus, ut v. g. cum quis sedens fertur thedâ vel naui, retinet eundem situm, non tamen eandem vocationes, ergo vcatio à situ distinguitur. Hoc idem argumentum fieri solet ad probandum, figuram cathedræ v. g. distinctam esse ab eius vocationibus (ut vidimus Disputat. vi. Physicæ à num. 7.) Sed sicut ibi respondimus, eo probari, physicè loquendo mutari figuram, non tamen moraliter, quia succedunt aliæ vocationes omnino similes in ordine ad distantiam partium inter se; ita in præsentî respondemus argumento, non manere eundem situm, physicè loquendo, in prædictis casibus, sed solum moraliter, quo etiam modo moraliter manent eadem vocationes quantum ad distantiam partium inter se & à loco reali vbi sunt.

Dices Secundo: Possunt in meâ sententiâ, docente rem esse vocationem, manere vcatio sine Petro v. g. tunc autem non est situs, ergo situs

distinguitur ab vocationibus. Respondeo, in eo casu manere situm, licet non maneat, ut sic dicam, siticatus, sicut albedo sola est vera albedo, licet non sit album.

Aduerte, situm solum non sumi in ordine ad distantiam partium inter se, sed in ordine etiam ad locum realem: vnde licet partes hominis eodem modo distent inter se seu iaceat seu siterectus, quia tamen non eodem modo distant à loco, à centro scilicet & calo, ideò non dicitur habere eundem situm in vno casu ac in alio, & hoc explicatur verbis vltimæ definitionis, *est dispositio partium in ordine ad locum.*

Habitus est id, à quo aliquis vestitus dicitur, vel armatus. Non est modus aliquis aut qualitas distincta ab vocationibus hominis & vestium, nam præcisè eis intellectis non quidem in ratione communis vocationis, sed secundum has & illas in particulari, tali modo distantes inter se, intelligitur homo vestitus esse, ergo non est necessarius alius modus superadditus. Quando dico, *vocationibus*, intelligo simul vestes ipsas: si enim diuinitus (ut in meâ sententiâ fieri potest) conseruarentur vocationes solæ vestium, non essent propriè vlllo modo vestitus; sumenda ergo sunt simul cum ipsâ vestium entitate. Hic obseruo, eum, qui diceret, quoties homo mutat vestes, mutare etiam aliquid intrinsecum modum, non aliquid magis improbabile diciturum, quam qui diceret, productâ vnâ albedine in Indiâ v. g. sultare nouos modos intrinsecos in omnibus albis totius mundi; imò minus probabile est hoc vltimum, quam primum, quia minor mutatio fit in me per productionem alterius hominis in Indiâ, quam ex mutatione vestium. Quod aduerto propter nonnullos, qui opinantur, ex hoc Prædicamento acris impugnari eos, qui rigorolam Prædicamentorum distinctionem conantur adstruere, & propter alios ex aduersariis, qui è contrario, cum piaculum reputent Prædicamentum relationis distinctum negare, hic tamen in habitu & situ non potuerunt ponere vnum modum distinctum in quo consisteret hoc Prædicamentum.

Quòd si illi hæc Prædicamenta venerant, nonne videtur illis posse obici, Qui in vno delinquit, factus est omnium reus: & certe semel vel in vno negatâ decade Prædicamentorum, potuisset honestè etiam in relatione negari.

Aduerto tandem, hic aliqua circa arma docti, quæ minus philosophica videntur, ut supra obseruauimus: ait enim P. Suarez Disputatione 53. Metaph. sect. 2. num. 14. arma defensiva sola, non verò offensiva, pertinere ad hoc Prædicamentum, quasi vtrumque propriè non sit habere arma, & vtrumque non sit quid reale separabile ab homine, ergo idem est de vtriusque dicendum, sicut & de statu vestitâ, & de quantis re habente aliquid aliud, scilicet illud habere esse denominationem desumptam ab vocationibus rei habitæ, & subiecti habentis illam, nullâ aliâ superadditâ entitate. Et hæc pro Prædicamentis sufficiant.